



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Publicæ veneficoru[m] professiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

cultum sui cogant. Nec aliud illis studium est, quàm à Deo homines auocare, & ad superstitionem sui ab intellectu vera religionis auertere; cum sint ipsi pœnales, querere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes. Homines itaque in suam seruitutem trahunt, & tyrannidi suæ subijciunt sæpe incogniti, vt postquam eos in hamo habent, tum demum se detegant, & iam captos impellant ad obsequium sibi, honorem, reuerentiam, adorationem, obedientiamque exhibendam. Quod diuersis modis impetrant. 1. Aliquos paupertate pressos, pauculis nummis, emunt. Egi cum aliquo in carcere, ac postea etiam flammis adjudicato, qui è balneo exiens, & vehementer sitiens, se dæmoni deuouit, ob sex cruciferos, sibi ab eo, in cereuisiæ potû, suppeditatos. 2. Aliquos Alastor impatientia tristes, vel odio, vindicandæque injuriæ cupiditate incensos irretit. Dum enim modum artemque nocendi quærunt, hunc magistrum facilè inueniunt. 3. Aliquos in luxuriam pronos, Venereq; lymphatos, vel ope promissa, vel specie mentita illicit. Scelere peracto, mox ostendit, quàm turpis sub eleganti larua puella, vel amasus latitârit. 4. Multos per socios socialque & nimiam curiositatem, sua sub signa vocat. Sic Orci satellites conscribuntur, vt plurimi ad plures eant, præsertimque illi, qui ita malè radices egerunt religionis, vt parui faciant, illam pro pecunia, pro vindicta, pro voluptatula, aut sociorum causa perdere.

II.

Sprangerus
lib. 1. mallei
maleficor.
part. 2. q. 1.
cap. 2.

In I. nemo
aruspicem.
& l. et si exee-
pta. 7. de m2.

Non tamen contentus est priuata deuotione superbus spiritus; publica insuper vult sibi homines professione promissioneque obstringi. Conuocatis in concionem, epulas, choreas maleficis, tyro, vel nouitia sistitur, cogiturque Christum, & sanctam Trinitatem, Dei Matrem, omnesque Diuos calites, fidem, Ecclesiam, sanctissima Sacramenta abnegare; tum nouo sacrilegoque ritu baptizatur, iubeturque homagium magistello præstare. Mox sponsum, & anulum, & impressum in corpus characterem, accipit, nefando congressu initiatur, accipitque vnguenta & pulueres, quibus iumentis & hominibus damnum det. Qua de causa refert Constantius Cæsar, Chaldaeos, Magos, sagos, & ceteros impostores, incantatores & veneficos, ob facinorum magnitudinem à vulgo dictos maleficos, nempe ab insigni & de-

& detestabili maleficio, seu scelere. Eadem appellatione mulieres & viros omnes, qui se dæmonum ministerijs dedunt, eorumque iussu, ope, & circumuentione mala, necesse, morbos, imbres, tempestates, aliaque talia perniciose inferunt, contineri, palam est. *Horum omnium ratio est illa, inquit S. Cyprianus, qua fallit, & decipit, & prastigijs cecantibus veritatem, stultum & prodigum vulgus inducit. Spiritus insinceri, & vagi, qui, postquam terrenis vitijs immersi sunt, & a vigore caelesti terreno contagio recesserunt, non desinant perditum perdere, & deprauati errorem prauitatis infundero.* Non contenti sunt ergo mali spiritus, vt ministros suos in præceptis agant & perdant, sed per illos etiam, quæ possunt, conantur alios perdere.

Nocent autem venefici aliquando vero veneno; aliquando acu in infantis cerebrum impressa; sæpissimè autem irrita & inani arte, in qua vis nulla, sed tantum quædam umbra veritatis. Nam ad signa quædam inefficacia ex se, dæmon operatur ea, quæ magi destinauerunt: vt quando malefici sagittarij, die sacrosancto feriæ sextæ passionis Dominicæ, in crucifixum tela, aut glandes plumbeas è sclopijs mittunt eo pacto, vt quoties crucifixum attigerint, toties ineuitabili nece possint aliquem trajicere, diabolo telum, vel globum deferente. Septem modis maleficos generatim nocere posse tradit Ioannes Nider, sed quis est, qui possit omnes nocendi modos enumerare? Hunc amore, illum odio ad insaniam adigunt. Alium impediunt, ne possit prolem generare; alium prole generata per abortum, vel morbum, priuant. Quoties infantes nondum baptizatos occidunt? quoties maleficæ obstetrices vix natam sobolem dæmonibus consecrant? Sunt qui ipsos infantes vorant. Sunt, qui putent, lacertam sub limine ostij positam, hominum & bestiarum foeturam impedire, eaque sublata restituere. Denique, quam vim habeant morbos mortalesque procurandi, & multa, & admiranda ostendunt exempla, quorum aliqua huc exscribere iuuabit, ad horum detestationem cæcis mentibus iniiciendam. Nec enim sufficiunt, quæ superiore capite attulimus ad dæmonis malitiam declarandam.

Vt autem de maleficio ligaminis longè frequentissimo ni-

Z z hil di-

lef. & mathé.
I 9. Cod. lu-
fin. tit. 18.

S. Cyprian. de
Idol. yanit.

III.

Sprenger.
loc. cit. c. 16.

IV.